



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbati Et Conventvi Cisterciensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

ulterius sub dissimulatione transire, discretioni vestrae per apostolica scripta praepi-
iendo mandamus quatenus ad Ebora-
ensem Ecclesiam accedentes, Abbatibus,
Prioribus, & aliis, personis honestis, cu-
juscunque ordinis, evocatis, praesente Ar-
chiepiscopo, si voluerit, & se, si potuerit,
defendente, sub pena excommunicationis
appellatione remota, prout necesse fuerit,
injungatis eisdem ut testimonium perhi-
beant veritatem super quibus idem Archie-
piscopus a jamdictis Decano & Capitulo
monitionem accepit, testes recipientes
eorum quos voluerint producere ad illa
probanda in quibus dicunt ipsum Archie-
piscopum excessisse, inquirentes per illos &
famam quoque communem utrum Archiepiscopus ipse sit utilis & sufficiens ad
regimen pontificalis honoris, audituri nihilo
minus & super his probationes appella-
tionem postposita recepturi, si qua forsan
idem Archiepiscopus contra Capitulum
vel aliquem de Capitulo duxerit propo-
nenda, & omnia sub sigillis vestris inclusa
nobis quantocius transmittatis, eisdem
Archiepiscopo, Decano, & Capitulo cer-
tum terminum assignantes in quo per se
vel sufficientes responsales nostro conspe-
ctui se praesentent, & irritum post redu-
centes si quid idem Archiepiscopus per se
vel per aliquem alium contra Capitulum
vel eorum immutaverit aliquem, postposita
appellatione ab eis rationabiliter ad
apostolicam sedem emissa. Quod si non
omnes iis exequendas valueritis aut voluer-
itis interesse, duo vestrum &c. Datum ut
supra.

*ARCHIEPISCOPO
Mellanensi.*

Epist. 59.
Relaxat lente-
tiam suspen-
sionis qua Ar-
chiepiscopus
Mellanensis
tenebatur a-
strictus.

Quantum nos & Ecclesiam Roma-
nam offenderis, nolumus nunc lite-
ris explicare, sed conscientiae tuae relin-
quimus discernendum. Nos autem licet
offensam nostram & apostolicae sedis inju-
riam in te potuissimus graviter vendicare,
tuæ tamen honestati parcentes, non so-
lum de commissis non infliximus tibi po-
enam, sed excommunicationis sententiam,
quam ipso facto incurreras, per venerabili-
lem fratrem nostrum Reginum, Archiepisco-
pum secundum formam Ecclesiae mandavi-
mus relaxari, sic tamen ut suspensionis
sententiam observares. Verum quia, sicut
aceperimus, praeteritum jam damnas erro-
rem, & ea efficaciter promoves quæ nobis
aestimas complacere dilecti fratris nostri
G. tituli sancti Vitalis Presbyteri Cardina-

lis precibus annuentes, suspensionis sen-
tentiam, qua teneris astrictus, de solita se-
dis apostolicae mansuetudine relaxamus.
Reservamus tamen adhuc nobis tanti cor-
rectionem excessus, ut juxta tuorum exi-
gentiam meritorum misericordiam tecum
vel judicium faciamus. Monemus igitur
fraternitatem tuam & exhortamur attente
per apostolica scripta mandantes quatenus
in devotione nostra & regia fidelitate
persistas, & taliter Regis & regni hostibus
te opponas ut gratiam nostram possis ple-
nius promerer, & præcedentem offen-
sam per satisfactionem aboleas subse-
quentem. Datum Laterani XIII. Kal. Iulij.

*ABBATI ET CONVENTVI
Cisterciensi.*

Epist. 59.
Adversari de-
lectores ordi-
nis Cisterci-
ensis.

Cum paci ac quieti eorum qui Mariae
officium elegerunt paterna sollici-
tudine providemus, officijs nostri debitam
prosequimur actionem, qui quanto fer-
ventius in Dei servitio perseverare nos-
cuntur, tanto amplius, ne ab eo valeant
revocari, debent in suo laudabili proposito
conferri. Hinc est quod cum fugitiivi
Cisterciensis ordinis super receptione sua
aliquotiens literis impetratis contra debi-
tum vos molestare præsumant, ob favo-
rem religionis & ordinis vestri volumus &
mandamus ut hujusmodi ordinis vestri
desertores, si super receptione sua forte
literas impetraverint, in quibus non con-
tingatur ut recipiantur salva ordinis disci-
plina, vel si regulare fuerit & honestum,
tales literæ, ne ipsarum occasione possitis
a divinis laudibus revocari, nullam obti-
neant firmitatem, & ne earum obtentu ad
fugitivorum receptionem aliquis vos com-
pellat auctoritate apostolica prohibemus.
Nulli ergo &c. prohibitionis &c. Datum
ut supra XIV. Kal. Iulij.

*IOHANNI QUONDAM
Lugdunensi Archiepiscopo.*

Epist. 60.
Mitit collec-
tas de laude
Bernardi.

Negare noluimus quod petere volui-
sti, cum ex eo tam nobis quam tibi
fructus æternæ retributionis accrescat.
Petisti namque rogatus a fratribus ut ad
honorem beati Bernardi primi Clareval-
lensis Abbatis, quem apostolica sedes san-
ctorum adscriperat catalogo venerandum,
nos ipsi collectam & alias orationes
ore proprio dictaremus, tum propter au-
toritatem dictantis, tum propter stilum
dictaminis, cum majori devotione di-
cendas. Et ecce sicut potuimus ad instantiam